INDEX LECTIONUM

IN

UNIVERSITATE STUDIORUM JAGELLONICA

A DIE 1. OCTOBRIS ANNO MDCCCXXVII.

AD MEDIUM MENSEM JULII ANNO MDCCCXXVIII.

INSTITUENDARUM.

CRACOVIAE

TYPIS UNIVERSITATIS.

ORDO THEOLOGORUM.

Nicolaus Janowski S. Theol. Dr. Moral. et Pastoral. et Eloquent. Sacræ Prof. P. O. Can. Ecclesiæ Cath. Crac. h. t. Facult. Theol. Decanus, Jud. Sacr. Consist. Gener. Episcopat. Dioeces. Crac.

Horis pomerid. 1—2. diebus quinis per hebdomadem, scilicet die Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis et Saturni, tradet Theologiam Moralem ad mentem Ecclesiæ Romanæ Catholicæ. Jdem præleget etiam Pastoralem Theologiam et præcepta Eloquentiæ sacræ.

Florianus Kudrewicz Ord. S. Basil. M. S. Theol. D. Sacræ Script. Prof. O. P

Horis matutinis 9—10. exceptis diebus Jovis, quotidie Archæologiam biblicam, Hermeneuticam generalem et specialem Veteris Testamenti ac Philologiam tradet, demum explicabit Psalmos, incipiendo a Psalmo XLV.

Matthaeus Kozłowski Ord. Praed. S. Theol. Dr. Hist. Eccl. Prof. P. O.

Hora matutina 10—11, quotidie, die Jovis excepto, exponet Historiam Ecclesiasticam, methodo Alberi.

Joannes Stanislaus Przybylski S. Theol. D. Theol. Dogmaticæ Professor P. O.

Horis def. tradet Theologiam dogmaticam.

Petrus Pękalski S. Theol. D. Canon. Ord. SS. Cust. Hierosolymit. Linguarum orientalium Prof. Extraord.

Horis pom. 1—3. diebus Lunae, Martis, Jovis et Mercurii tradet Linguam Hebraicam, Chaldaicam et Syriacam.

ORDO JURIS CONSULTORUM.

Adamus Krzyżanowski J. U. D. P. P. O. h. t. Fac. Jur. Decanus.

Hora 9—10. diebus Lunæ, Mercurii et Saturni, diebus autem Martis, Jovis et Veneris $8\frac{1}{2}$—10. Historiam Juris antiqui Polonici, deinde Codicem Civilem in Re-

gno Poloniæ vigentem, ratione Codicis Civilis Austriaci et Legum antiquarum Polonicarum habita, tum Codicem mercantilem, qui in Regno Poloniæ obtinet, cum applicatione legum, quæ apud gentes vicinas in usu sunt, explicabit.

Augustinus Boduszyński J. U. D. P. P. O. Reipubl. Crac. Senator.

Hora pomeridiana 5. ad 6½ Eo moderante Historiam Juris Romani, Jnstitutiones Justinianeas cum provocatione ad Pandectas et Codicem Repetitæ Prælectionis, tandem Jus feudale tradet Vice-Professor.

Felix Słotwiński Phil. et J. U. D. P. P. O.

Hora pom. 3—4. quotidie, excepto die Saturni, jus Naturæ universum, privatum, civitatis et gentium, nec non Methodologiam et Encyclopaediam Juris docebit. Jdem hora matut. 8—9. diebus Lunæ, Mercurii et Saturni, jus Ecclesiasticum tradet.

Nicolaus Hoszowski J. U. D. P. S. Reipublicæ Cracov. Senator.

Horis matut. 9—10. quotidie, disciplinas politicas tractabit, scilicet, primum Oeconomiam Nationum puram, deinde Oeconomiam politicam et Doctrinam redituum s. Financiæ vulgo dictæ, nec non Politiæ, ac tandem Theoriam Agriculturæ et Constitutionis Regni Poloniæ Liberæque Civitatis Cracov.

Antonius Matakiewicz J. U. D. Ord. S. Stanislai IV. Classis Eques P. P. O.

Horis matutinis a 10—11. quotidie exceptis diebus festis: semestri hyemali Codicem Judiciarium Civilem in Regno Poloniæ vigentem explicabit et quæ e Codice Civili Austriaco judiciario et legibus antiquis Polonicis huc pertinent, simul exponet. Semestri æstivo Jus Criminale juxta textum Codicis Criminalis Austriaci cum applicatione Codicis Criminalis Polonici tradet.

ORDO MEDICORUM.

Adalbertus Georgius Boduszyński Med. D. Pathol. generalis, tum Therapiæ generalis ac Mater. medic. P. O. P. h. t. Fac. Med. Decanus, Reipub. Crac. Protomedicus.

Horis matutinis 10—11½ diebus Lunæ, Martis et Mercurii, lingua latina Pathologiam generalem explicabit; diebus Veneris et Jovis doctrinam de materia medica tradet iisdem horis, tum de Therapia generali, diebus Veneris autem binis horis continuis, alternata prælectione a 10—12½.

Sebastianus Girtler Phil. et Med. D. Politiæ Medicinalis, Histor. Medicinæ, tum artis Veterin. P. O. P. Universitatis Rector.

Quum munere hoc et officio gravissimo districtus docendi partes ipse suscipere nequeat, eo moderante Julianus Sawiczewski Med. D. Prof. Extr. hor. 11. cum dimidia ad 1. diebus Martis, Jovis et Saturni, Politiam Medicinæ ex propriis scriptis lingua polon. tradet. Deinde ad prælegendum de Historia Medicinæ, pariter ex propriis scriptis, secundum ordinem variarum theoriarum et systematum, cum necessaria recensione accedet, idque latino idiomate. Jisdem diebus ab hora 5. ad 6. pomeridie artem veterinariam explicabit, mox secundum Pilgerum, mox secundum Bojanum, aliosque Auctores.

Jgnatius Wożniakowski Med. D. ab Augustissimo Imperatore Austriæ Rege Apostolico Honoris Numismate ornatus, P. P. O.

Diebus Lunæ, Mercurii et Jovis ab hora 4—5. idiomate polonico Chirurgiam theoreticam, eodemque idiomate Artem Obstetriciam diebus Martis et Veneris hacce hora tradet. Jam autem diebus Lunæ, Mercurii et Jovis ab hora 11—12. ante meridiem Institutiones medico-chirurgicas tradet.

Josephus Kozłowski M. D. Anatomiæ et Physiologiæ P. P. O.

Anatomiam et Physiologiam tradet idiomate polonico, diebus Lunæ, Martis, Mercurii et Veneris hora 9—10. Præterea tradet hyemali semestri pro opportunitate, tempore vespertino duas horas continuas Anatomiam practicam. Semestri vero æstivo Physiologiam diebus Mercurii et Veneris post meridiem ab hora 4—5. tum Medicinam forensem diebus Veneris a 3. ad 4.

Sixtus Lewkowicz Med. et Chir. D. Ordinis S. Annæ III. Classis, tum Legionis Honoris Eques, Chir. et Art. Obstet. Practicæ P. O. P.

Hor. pom. 3—4. hyemali semestri, æstivo autem a 6—7. pom. diebus Lunæ, Mercurii et Veneris in curationibus Chirurg. rite instituendis, Auditores ad praxim for-

mabit. Horis matut. 7. ad 8. Clinicem Chirurgicam duce Richerand, obstetriciam vero ducibus Baudeloque, Boer et Widmann quotidie exhibebit.

Josephus Brodowicz M. D. Pathologiæ, Therapiæ specialis et Clinices P. P. O.

Hor. matut. 9—10. quotidie, diebus Saturni et festis exceptis, Pathologiam et Therapiam specialem lingua latina tradet. Clinicam autem praxin ab hora 8—9, pomeridiano tempore per annum totum docebit, Latine studiosos Medicinæ et Chirur. sublimioris, Polonice discipulos Chir. inferioris.

Florianus Sawiczewski M. D. Pharmaciæ P. P. O.

Diebus Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab hora 8. matutina ad 9. e propriis schedis Pharmaciam docebit, qua finita, aquarum mineralium naturam et indolem explicabit.

Julianus Sawiczewski, Med. D. Prof. Ext.

Hor. pom. 2—3. diebus Lunæ et Veneris Thanatologiam sive Artem succurendi apparenter mortuis tradet.

ORDO PHILOSOPHORUM.

I. FACULTATIS MATHEMATICAE ET PHYSICAE.

Carolus Hube Phil. D. Matheseos sublimioris P. P. O. h. t. Facultatis hujus Dec.

Hora matut. 8—9. quotidie, exceptis diebus Saturni, tradet Analysim finitorum, calculum analytico-trigonometricum, Trigonometriam sphæricam et Geometriam Analyticam, præcipue theoriam superficierum secundi gradus, duce Hachette.

Hora matut. 9—10. diebus Lunæ, Mercurii et Veneris, calculi differentialis et integralis applicationem ad Mechanicam sublimiorem docebit.

Josephus Markowski Phil. et Med. D. Chemiæ P. P. O.

Hor. 11—12. quotidie exceptis festis, Chemiam docebit.

Hor. 3—4. pom. diebus Lunæ, Mercurii et Veneris Mineralogiam tradet.

Aloysius Estreicher Phil. et Med. D. P. P. O.

Hor. matut. 10—11. quotidie exponet Zoologiam per semestre hyemale, ducibus Cuvier, Ocken, Jlliger, Lamark et aliis, qui hac de re tractarunt.

Hor. matut. 6—8. Botanicen tradet per semestre æstivum.

Hor. pom. 2—3. Diebus Martis et Jovis tradet doctrinam de generis humani varietate nativa, per semestre hyemale.

Hor. pom. 6—8. exercitationes botanicas instituet et ad Botanicæ practicæ usum manu ducet, atque Dendrologiæ rudimenta exponet per semestre æstivum.

Romanus Markiewicz Phil. D. P. P. O.

Hor. matut. $9\frac{1}{2}$—11. quater per hebdomadem, die vero Martis ac Veneris 9—10. Physicam experimentalem ac theoreticam ad normam sui opusculi in usum Lyceorum editi, addens huic ex tractatu Physices Biotii addenda ampliora de fluidis expansibilibus et incoërcibilibus, ut de annulis coloratis, polarisatione fixa, mobili etc. ad finem vero anni doctrinam de Electro-et Thermo-magnetismo, e propriis schedis præleget.

Franciscus de Paula Sapalski, Phil. D. Geometriæ descriptivæ P. O. P.

Horis 12—$1\frac{1}{2}$ Geometriam descriptivam tradet theoreticam, tum accomodatam perspectivæ umbrarum, artibus fabrilibus et Gnomonicæ, diebus Lunæ, Mercurii et Jovis.

Hor. 4—5. pom. diebus Veneris et Saturni Mechanicam et Hydraulicam per semestre æstivum.

Hora 11—12. matut. diebus Solis, opificibus et artificibus tradet Architecturam et Mechanicam practicam.

Franciscus Szopowicz Phil. D. Mathes. Infer. P. O. P.

Horis matut. 8—$9\frac{1}{2}$. diebus Lunæ, Mercurii et Saturni 8—9. diebus Martis et Veneris Mathesim inferiorem duce Lacroix cum praxi geometrica docebit.

Maximilianus Weisse Phil. D. P. P. O.

Hor. matut. a $9\frac{1}{2}$—11. Astronomiam Theoreticam, horis pomer. ab 3—4. Astronomiam practicam diebus Martis et Jovis propriis e schedis præleget.

II. FACULTATIS LITERARIAE.

Paulus Czaykowski, Phil. D. Literaturæ Polonicæ et comparativæ P. P. O. h. t. Facultatis Phil. Literariæ Decanus.

Hor. matut. 10—11. traditis præceptis Eloquentiæ et Poëseos, per Classicorum Auctorum exempla illustratis, Auditores ad exercitia Linguæ Patriæ in utroque orationis genere ducet.

Julianus Czermiński Phil. D. Historiæ P. P. O.

Hor. matut. 11—12. quotidie, diebus Lunæ, Mercurii autem a 5—6. pom. enarrabit I. historiam antiquiorem et recentiorem. II. Geographiam Physicam et Politicam. III. Docebit artem criticam, quæ ad legendos historicos est necessaria. IV.

Observationes in historiam universalem duce Ferrando [Esprit de l'Histoire] tradet.

Georgius Samuel Bandtkie Phil. D. Bibliographiæ P. P. O. et Bibliothecarius.

Hor. pom. $1\frac{1}{2}$—3. die Mercurii, Veneris et Saturni, Bibliographiam profitebitur. Collegium styli cultioris duce Beckio [Artis latine scribendi præcepta Lipsiæ 1802.] et disputatoria philologica et historica cum selectis juvenibus instituet diebus Martis, Jovis et Veneris, hora $7\frac{1}{2}$—9.

Hermanus Schugt, Phil. D. Linguæ Græcæ P. O. P.

Hor. pom. 2—4. diebus Lunæ, Mercurii et Veneris explicabit Annales Taciti.
Hor. iisdem, diebus Martis et Saturni, Sophoclis Trachinias.
Horis pom. 4—5. Styli cultioris linguæ Græcæ præcepta profectioribus tradet. Semestri æstivo enarrabit Historiam Literarum Romanarum.

Josephus Jankowski J. U. et Phil. D. P. P. O.

Hor. pom. 3—$4\frac{1}{2}$. docebit Philosophiam theoret. et practicam diebus Martis, Mercurii et Jovis; Exercitationes vero pædagogicas instituet die Lunæ. Die Veneris Historiam Philosophiæ e propriis schedis tradet.

Lectorium in Bibliotheca publica Univ. Cracov. patebit hor. pom. 2—4. hyemali, 3—5. æstivo semestri diebus Lunæ, Martis et Jovis. Hospitibus vero extraneis, qui Bibliothecam, Musea, speculam Astronomicam, et Hortum Botanicum invisere cupiunt, nulla hora præfinita est, dummodo tempus Prælectionibus sacrum Bibliothecario et Praefectis Museorum Mineralogici, Zoologici et Horti Botan. condonare velint. Quovis tempore de commoda hora certiores facti curiosis hospitibus nunquam deerunt. Museum Physicum patebit curiosis, qui adesse dignabuntur, hora 10. matutina, finita praelectione.

Docebunt Artem pictoriam Jos. Peszke P. P. O. et Jos. Brodowski P. P. O. semestri brumali hor. matut. 8—12. Artem Sculptoriam Jos. Szmelcer P. P. O. ab hora 11—12. docebit. Linguam Anglicam tradet Hermanus Schugt 1—2. Germanicam Ludovicus Teichmann hor. pom. 2—3. Italicam Stephanus Laberi 5—6. Petrus Augustinus Ledru Linguam Gallicam docebit quater de septimana diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni a 12—1.

Alexander Sołłowiewicz tradet linguam Rossicam et historiam literaturae Rossicae ab hora 4—5. post meridiem.

Artem saltandi Petrus Couder quater per hebdomadem hor. pom. 6—7. Artem equitandi Theodorus Cogen pom. 2—3. diebus Lunae et Jovis, diebus vero Martis et Mercurii 3—4.

Civibus Literarum Studiosis

S. P.

RECTOR

SEBASTIANUS GIRTLER

PHIL. ET MED. DOCT.

DE ANONYMO NEVELETI.

Anonymus vetus fabularum Aesopicarum auctor, qui vulgo ad calcem Phædri et Aviani fabularum prodire solet, interdum Anonymus Neveleti a recentiori editione a. 1610. dictus, seculo XV. plerumque Aesopus moralisatus vocabatur. Panzerus in Annalib. typogr. T. V. 12. octodecim editiones ejus ab a. 1479. ad a. 1500. habet. Quis fuerit et quando vixerit incertum est.

Ex antiquioribus editionibus una tantum est nobis a. 1492. Panzeri ann. IV. 56. 465. *Esopus moralisatus cum bono commento.*

Folio verso I. *Grecia disciplinarum mater et artium inter ceteros, quos mundo tulit sapientes, vnum edidit memorie* [a] *dignum Esopum nomine Erat enim ingenio clarus, studio sedulus, et placidus facundia. Qui inter cetera*

que scripserat utilia fabularum exempla, utilibus plena etiam litteris commisit et in unum redegit opusculum. Jn quo et parvuli diligentes instruantur et jocundi reddantur adulti. Liber igitur iste primo Grece conscriptus est ab Esopo, posthoc a romulo imperatore romano ad instruendum Tiberium filium suum in latinum venit. Deinde rex anglie Afferus [Alfredus] *in anglicam linguam eum etiam transferi precepit. Esopus itaque de fabulis agens res inanimatas introducit loquens videlicet et bestias et volucres et fabulose de eis scripsit, sed de singulis moraliter concludit.*

In fine libri: *Esopus fabulator preclarissimus cum suis moralizationibus ad nostri instructionem pulcherrime appositis Jmpressus anno salutis nostre* MCCCCXCII. *tercio Kalendas Octobris.*

Char. goth. sign. A. I. II. III. IV. ad F. I. II. III. IIII. plagul. 9. 4*to* terniones enim sex foliis constant quaternis. Signa papyri varia: cantharus, litera *p* et *h* cum rosa. Præterea sunt nobis duo Codices manuscripti, in quibus fabulae Anonymi illius. Alter Codex est folio sec. XV. in quo Anonymus paginis 95. constat cum duplici commentario. Alter est interlinearis per synonima voces explicans, alter ad marginem et sub textu post ambages ethicas repetita plerumque fabula rem enucleat. Multo longior est hic commentarius, quam qui in editione typis impressa a 1492. legitur. Jn fine fabularum: *Explicit esopus scriptus et finitus per manus cujusdam Petri clerici. Sub anno domini tricessimo quinto feria secunda proxima post festum cristi.*

O Maria poli
Scriptorem despicere noli.

Scriptura nec pulchra, nec accurata sine dubio a. 1435. Jn præfatione autem hæc leguntur: *sciendum autem hoc opus, quod in greco compositum a Latinis diucius interpretatum, donec quidam Tyberius Romanorum Jmperator Magistrum Romulum induceret, ut sibi aliquas jocosas fabulas ad curas publicas effugandas delectabiliter compilaret. Cujus preces recipiens pro preceptis hunc librum de greco transtulit in Latinum, per quod potuit habere, quod Esopus fuit*

causa efficiens hujus libri in greco sermone, in quo diu latuit, donec Tiberius imperator Romanorum rogavit Rumulum, Cui Romulus non audens contradicere dixit: Mi Tybery, scribam tibi calumpnias malorum et verba blanda reproborum, ut sic ingenium acuas per hec facta.—Sed tamen quidam dicunt, quod Socrathes hunc librum transtulisset de greco in latinum. Secundum aliquos Expositores causa efficiens hujus libri fuit Valterus, qui librum istum compilavit. Sed incidens in lepram non audebat se suo nomine intitulari. Sed videns Magistrum Ezopum peritum in arte poetisandi sub ipsius nomine titulum imposuit. Signum papyri caput bovis cum bacillo rosa superimposita ornato inter cornua. Alter codex 4*to* longe melioris notæ, etsi fortassis non antiquior, tamen scriptura accuratiori et pulchriori præstantior complectitur eundem Auctorem a p. 151. ad p. 229. Commentarius in hoc Codice non nunquam brevior, quam in illo.—Signum papyri fere idem quod in priori Codice. P. 151. v. 6. a fine hæc leguntur. *Magister Ezopus atheniensis author ejus operis intitulati suo nomine est ostensurus, qui* (quid) *fugere et sequi debemus vel debeamus.* [p. 152.] *prosopopeiice fingens et loquens.* Porro v. 5. ib: *sciendum autem. Hoc opus est in Greco sermone compositum a Latinis diucius interpretatum* etc. ut in priori Codice. Jn fine opusculi leonini versus duo: p. 229. v. 2. a fine:

Est liber hic *scriptus*, Ezopus nomine *dictus*
Hunc quicunque *terit*, Jlle peritus *erit*.

Quæ in præfationibus nostrorum Codicum manuscriptorum æque atque in præfatione editionis a. 1492. de auctore fabellarum nugæ occurrunt, eæ notissimæ sunt ex dissertatione Ephraimi Gottholdi Lessingii de Anonymo Neveleti. Operum ex ed. Berolinensi T. VIII. p. 141. seqq. T. XVIII. 264. Sed nova et inopinata mentio est de Gualtero Leproso, qui auctor earum fabellarum dicitur. Jo. Frideric. Christius has fabulas Gualtero Winterburnio Ord. S. Dominici Cardinali tit. S. Sabinæ † 1305. sola conjectura ductus tribuebat. p. 56. [de Phædro Lipsiæ 1746. 4*to*] Sed quin Gualterus Leprosus cum Winterburnio idem fuerit, valde dubitamus. Ut ut sit, libet breviter in memoriam revocare, quam multis fabulæ

hæ adscriptae fuerint. Scilicet ut omittamus eos, qui in præfationibus memorati erant Romulum quendam, qui oratione soluta fabulas edidit, Socraten, Gualteros, Aesopum Atheniensem nescio quem, supererunt nobis adhuc Rimicius, qui e Græco novam versionem Aesopi fecit, Salo Parmensis, de quo Lilius Gyraldus p. 663. ed. Basileens. 1570. L. IV. Historiæ Poetarum: *Mirum, nobis dicam, quam anxie Parmenses quidam non Romulum hujus libelli auctorem, sed suum quendam Salonem municipem, qui poeta, dum Athenis studeret, e Graeco fabulas has nostris moribus, ut ajunt, aptando, carmine composuerit.* Accius apud Jul. Cæs. Scaligerum in Hypercritico, ut Lessingius docet p. 146. ex Accio Zucco Jtalo interprete confictus, Bernardus apud Casp. Barthium 16—149. et quem Lessingius suggerit, Alanus p. 151. Tom. VIII. ib. videlicet Alanus ab Jnsulis Ord. Cisterciens. a. 1151—1202. Romalius, Romulius, qui iidem sunt cum Romulo. Nec tacere possumus Lessingii sententiam p. 141. Anonymum nostrum carmine elegiaco versus suos e Romuli prosa composuisse et inprimis Bonero Ord. S. Dom. Helvetio fabularum antiquarum Germanice scriptarum fontem primum fuisse nec p. 156. tam antiquum esse, ac Joannes Fridericus Christius censuisset, qui eum vix ac ne vix quidem ad seculum IV. retulerit.

Restat adhuc, Cives Academici, ut vos ad hæc literarum et disciplinarum studia adhortemur, sine quibus nemo eruditus et doctus esse possit. Facilior est vobis ad litterarum penetralia aditus, ac olim fuerat, sed campus studiorum est amplior, maiori opera et graviori labore viæ longiori est insistendum. Non pauci hac re deterreri solent, sed nihil desperandum est iis, qui quod recte ceperunt, deserere noluerint studium. Etiam olim eadem experientia docebamur, quod nunc quotidie verum esse comperimus: *Nihil sine magno*

Vita labore dedit mortalibus.

Dummodo constans recti in studiis sit voluntas, non deerit felix eventu succesus. *Nemo enim*, ut ait Quintilianus, *reperitur, qui nihil sit studio consecutus.*